341

61

Reverendissime atq; Clarissime Vir, amice et
Fautor colendissime.

Vel eo nomine infelix nostra Sarmatia, quod non solum tot terrarū spaciis, sed insuper vastissimo seclusa
sit Oceano à polito in litteris Belgio, unde fit, ut et nos amantiores sapientiæ, dulci amicorum ca-
rere cogamur alloquio. molimur quid? aut occasionū supprimit iniquitas, aut mercatorum, per quos
curamus, intercidit negligentiâ. nec opus ut longe petantur exempla. Video neq; epistolia mea TUAS
ad manus, nec TUAS Vir Clarissime, una cū indiculis debitorū solutorū ad nras devenisse. bis enim vos indi-
ces missos esse, animadverto ex tuis, q̄ in Junio data, serius nempe XIII. Octobris mihi tradita. Ut ut dolea
litteras eas periisse, gaudeo tamen qd curis anxioribus liberatus, tandem aliquid certi de rerulis cognoverim nostris.
ratū apud nos fuit, tempestatū vi, vel naufragio absorptas. Illius Patronus meus, dici non potest, quanto
pere mihi fuerit molestus, cū in eo culpa vacare me sciam. Pecuniam ad exolvenda [illegible] nomina miseram, ut
transmitteretur supellectilis petieram. Sed rursus nova curarū moles! Juliane debetur? quantum? quī fac-
tum ut ei non satisfieret? nostrumne debitum an Grosi Dñi Nicolai Rey? hic plane Davus sum non Oe-
dipus. utinā celeri edoceri possem cursu, salua essent oīa, qd ut facias Fautor venerande, omni se-
posita mora etiam atq; etiam à Te postulo. mittantur solummodo litteræ ad R. D. Zielesium ac mone-
atur, quo eas evestigiò ad Magnif. ac Grosum D. Morsteinium Pocillatorē Sendomiriensem dirigat
faciet non dubito, cum de eo bene mereri studeat. Quod si verò Clariss. Vir vel fidem pro nobis in-
terea dando, vel si exigui nominis summa, eam exolvendo, nobis gratificari velis, rogat obnixe Grosius meus,
ac ego una, veteri amicitia nra det id. spondemus bona fide, fore ut libenter expensa refundamus. cistas
illas difficultatem in exportando vel importando, creaturas, primo statim intuitu, noveram. omnino in minorem
formam, expositis libris, transformandæ erunt. cui vero id negotij daturi? TUAE fidei Clarissime
Dñe Doctor, longe majora committeremus, probata hæc nobis, obsecro patiaris et id humeris imponi suis.
leves fiant cistæ, quatuor vel quinque uti onus requiret. clausæ, stramini involutæ, rusticanis telis obvolu-
tæ, restibus constringantur, uti mercatoribus mos, alias verendum esset, ne importando atq; exportando res
periclitarentur. hoc pacto ab omni iniuriarū vi tuta erunt oīa. Compendium meum in lucē prodiisse, ferè
ante annū cognovi, needū tamen videre licuit. ex pacto mihi XX. vel XXX mihi debentur exemplaria, quaeso
repete à Typographo, ac una mitte cū Suppellectili nra. habet is schedā mea manu subscriptam. con-
venit, ut XX ni fallor exemplaria emerem, si cedit conditione acquiesco, ego quoq; minori numero quæ
donare debuit, contentus sum. Cum secunda vice pecuniā transmitteremus, scripsi Cracoviā puto, ex ea sum-
ma Grosium XII. imper. ad exemplaria redimenda, consignasse. an sit factum nescio. totum pro pru-
dentia sua disponat rogo, primoq; vere per oēs Superos obtestor, depositum Dantiscum mittat, et
in ædibus Dñi Kelmeri Mercatoris deponi curet. Grosus Dnūs Andreas Rey meus, eâ ipsa die quâ mi-
hi litteræ D. Vrâ tradita, Baranoviæ nuptias summâ cum solennitate, in magno Magnatū et Nobi-
litatis concursu, celebravit. duxit qd felix ac faustum, lectissimā Virginē Theophilam, filiam Ma-
gnifici ac Grosi Dñi Andreæ Morsteinij Pocill. Sendom. studiosiq; castra diu neglecta sectatur
Veneris, silent Musæ, sine fructum, cū pro inaugurali Oratione Dign. TUAE gratias agat, needum ta-
men legerit. Legi ego, à meo tenui iudicio, non est quod censurā expectes Vir Sume, cum mihi ante con-
stet, quæ è manu TUA prodeant, profunda in sacris, atq; eruditissimæ meditationis opellas esse. cen-
sent Theologi nri quibus per me videre contigit, gratulanturq; tanto Viro rapto, nequaquā minoris
successisse famā. Vale Vir Clarissime, Deus O. M. hos honores Tibi Luldaq; sua diu felices
esse iubeat.

Dabam raptim Strzelovia ex aula Magn. ac Grosi
Dñi Morsteinij. XX. Octobris.
A. Dñi
CIↃ IↃ CXLIV.

Coniugi D. Vrâ, Grosus meus quo una et ego
officiosissimā deferimus salutem.

TUAE Dign.
cultor
Joh. Lætus
mp

Clarissimo Viro Dno Johanni
Coccejo S.S. Theol. Doctori, et
eiusdem in celebri Franeque-
rana Academia facultatis
Professori dignissimo, amico
suo colendissimo.

Franiker in Frie-
slandt
befragen by Myn
Heer Professor Coc-
cejus.
cito
cito

Accepi die
4. Martij.